

ARCHIEPISCOP. MAGDEBURGENSIS.

tenorem Inventarii fideliter servabit. Collegii supremi, sede vacante, acta, & collationes, ratas habebit. Nullam munitionem novam ædificabit, nec bellum ullum movebit, nec fœderi ulli se, absque collegii & provincialium consensu implicabit. Refragante actionibus Archiepiscopi collegio, nulla à Cæsare vel Pontifice decreta aut confirmationes obtinebit, quæ etiam impetratæ nullius momenti erunt. Gubernationem & Cancellariam, de consilio collegii, ita instituet, ut justitia omnibus æqualiter, nulla intercessionum à cognatis vel peregrinis principibus ratione habitâ, administretur. Omnes transactiones, decreta comitorum provincialium, & alios contractus, consensu collegii antea initos, principali fide servabit & exequetur. De oppido & præfectura Eglen, quod à Cardinali & Archiepiscopo Alberto supremum collegium emit, evictione præstabit collegio vel aliis, & Camera Archiepiscopi literis promissos redditus tempestive solvi curabit. Collegii legatis, hospitium & victus in Archiepiscopi arcibus non negabitur. Si collegium à Senatu & communitate Magdeburgensi, ut antea accidit, ex urbe pelletur, unam ex Archiepiscopi arcibus cum redditibus, excepta Giebichstein, ipsis inhabitandam & fruendam tradet, donec controversiæ componantur. Arces Archiepiscopi aliis oppignoratas redimet, vel à collegio redimi permittet. Servitia nova, intra decennium, monasteriis & aliis subditis imposita, abrogabit, nec collegii subditos servitiis premet. Ministros etiam collegii, non requisito antea capitulo, captivos duci non permittet. Reditus cœnobii S. Georgii in Salinis ad pios usus convertet. Reliqua monasteria omnia, in præsentis statu conservabit & rationes annuas de illorum administratione, adhibitis aliquot collegii personis, sumet. De cœnobiis, quæ ad mensam Archiepiscopi translata sunt, quantum antiquitus singula ad imperii & provinciæ onera sublevanda contulerunt, Archiepiscopus delectis ex ordinibus solvet. Præfectis & Iudicibus mandabit, ut redditus annuos, à subditis Archiepiscopi ecclesiasticis & politicis debitos, maturius quam hætenus pendi curent. Sylvas archidiocesis non claudet, nec lignationibus immoderatis vastari finet. In comitiis imperii sessionem suam tuebatur, & in præstatione contributionum imperii, archidiocesis gravius quam antiquitus receptum est, onerari non finet. Capitanei arcibus Giebichstein & Mauriti nulli nisi indigenæ, & de consensu supremi collegii præficiantur: cui collegio etiam jurare juxta antiquam formam, eamque scriptam sigillo confirmatam tradere teneantur. Similiter cæterarum arcium præfecti, intra octiduum juramento se collegio obligabunt. Quo tantisper tenebuntur, donec successor juramentum renovabit. Ad omnes præfecturarum rationes audiendas, Archiepiscopus ex supremo collegio aliquos

adhibebit. Ministros collegio pertinaciter adversantes, & domino suo & archidiocesi infideles, ex aula & præfecturis removebit: nec sede vacante à collegio remotos, unquam recipiet. Nullis oppignorationibus feudorum archidiocesis, consensum, ultra triennium, sine expresso collegii consensu, dabit. Coadjutorem eligere, cum necessitas flagitabit, collegium supremi templi, cum Archiepiscopo poterit. De successione, cum nemine mortalium, collegio non assentiente, tractabit. Facta resignatione ad manus capituli, præfecturas non spoliabit. Negotia gubernationis, debitorum, & alia hæreditariarum ditionum, cum archidiocesis debitis & negotiis non miscebit. nec aliter archidiocesis possidebit quam antiquitus usitatum est, & beneficiorum, taliumque bonorum ecclesiasticorum natura requirit. Ad quam conditionem forma juramenti subditorum, prioribus Archiepiscopis & collegio supremi templi, tanquam veris & hæreditariis dominis, sede vacante, præstiti, deinceps etiam dirigetur. Summam pecuniæ à Senatu & communitate Magdeburgensi, Cæsareæ Majestati & imperio, ratione reconciliationis debitæ collegio à Cæsare destinatam, sine ullo Archiepiscopi impedimento, collegium accipiet. Quod si de superioribus articulis disputationes cum collegio incident: duo ex consiliariis & duo ex collegio, cum plena potestate rei componendæ arbitri erunt. Inter quos si non conveniet, collegio alicui Iureconsultorum acta decidenda mittent, & in judicio acquiescent. Quod si collegium & reliqui clerici, antiqua consuetudine & ordinatione Episcoporum, plus juris quam in his articulis expressum est, habebunt, id quoque firmiter & inviolatè eis servabit. Cumque diocesis Halberstadensis, à Magdeburgensi sejuncta sit, de concilio collegii aulam contrahet, ne nimia frequentia novis debitis contrahendis occasionem præbeat.

Postremo, cum futuris temporibus Electoris Brandenburgensis dignitas, & ditionum Brandenburgicarum administratio, ad Ioachimum Fridericum, velut legitimum successorem perveniet: omni archidiocesis Magdeburgensis administratione abstinebit: omniaque jura, quæ in ea habuit, omnino extincta & abolita erunt, & sine ulla recusatione vel mora, in collegii supremi, sicut sede vacante fieri solet, potestate erunt: quod alium Archiepiscopum vel Administratorem, sine ullius impedimento, eliget. Nec juramentum, ab ordinibus, officariis, & subditis archidiocesis sumptum, ulterius quenkam obligabit, sed vigore hujus transactionis ipso facto cassum & irritum erit.

Flumina regiones hæc irrigantia sunt Albis, *Flumina.* Onacra, Oltemia, Sala, Wiperus, Inderst, Struma, Roide, Ruma, Vker, Fues. Montes hic *Montes.* sunt de *Ramelberg* Melibocus, & alii. Etiam silva, *Silva.* Solingerwalt, auff dem Hartzswalt.